

nihil mihi erit antiquius, quam eo laborare,
quo ILLVSTRISSIMI Mæcenatis patroci-
nio, me in dies faciam digniorem, non o-
missa summi Numinis indefessa imploratione,
ut TE DOMINE ILLVSTRISSIME! in summo
honoris fastigio constitutum, una cum gene-
rosissima stirpe ad illam meritis TVIS nun-
quam intermorituris dignam, & quam omnes
boni precantur ætatem protegat ac sospitet,
immo memoriam TVAM ita faciat sanctam,
ut multi anni consequentes ad posterorum
TVORVM gloriam illam excipiant. Quod si
aliquando merita TVA & animi virtutes in
hac generosa prole, vigere & corruscare vi-
dero, omne quod a me homine expectari
potest, nunquam frustra desiderari patiar.
Vale! Dabam Francofurti ad Viadrum Kalend
Februarij CIOIOCCXXIX.